M. Simms

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS;

DE

ISCHURIA VERA.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE

ISCHURIA VERA.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. JOANNIS GOWDIE, S. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et Nobiliſſimae FACULTATIS MEDICAE decreto;

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS BUDD, HIBERNUS.

Ad diem 22 Auguſti, hora locoque ſolitis.

Et cauſæ quoque æſtimatio ſæpe morbum ſolvit.
CELS. præf. ſub finem.

EDINBURGI:
Apud HAMILTON, BALFOUR, et NEILL.
MDCCLX.

PATRI

SUO OPTIMO, SUMMAQUE PIETATE

IN PERPETUUM COLENDO,

GULIELMUS BUDD,

S.

PLURA et majora quamvis tibi debeo, quam quivis fere filius patri debet, hanc tamen ob causam solam te patronum non nuncupo; sed etiam quod nullum novi, cui hasce studiorum qualescunque primitias justius, atque tibi, dicarem. Tu enim de Medicina bene meritus es, dum sanitatis tuendae exemplum insigne in te ipso protulisti. Vino, animo fortî, sanitatem praeferens, duodecim abhinc annis, aquam solam bibere coepisti; et quum hac methodo podagram radicitus exegeris, gaudens abstemius undis, incepto adhuc permanes. Perge, mi Pater, tibi ipsi ac podagricis, exemplo tuo, prodesse; et si quid ego, ex studio Medicinae, ad vitam tuam, mihi carissimam, quam diutissime protrahendam, adferre possim, mei rebus in medicis coepti (utcunque cesserit) haud me poenitebit. Vale.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

Ischuria Vera.

ISCHURIA, Græcè ἰσχουρία, derivari videtur ab ἴσχω, *cohibeo*, et οὖρον, *urina*, ac ſuppreſſionem urinæ omnimodam deſignat; vocabulum enim *Iſchuria* latiori ſenſu accipitur, notatque urinæ retentionem, a diverſis vel renum, ureterum, veſicæ aut urethræ, vitiis dependentem.

Per Iſchuriam apud autores intelligitur integra urinæ cohibitio, adeo ut ne vel gutta proveniat: verum non videmus quid obſtat, quo minus Iſchuria dicatur, ſi urinæ pauxillum ſubinde reddatur; ſiquidem in hoc caſu tantum lotii retineri poſſit, quantum ægro brevi tempore mortem afferat. Hinc proinde ſponte exſurgit Iſchuriæ diviſio, quæ peritæ prognoſi inſervit, in *totalem* et *partialem.*

Inter ſcriptores ſyſtematicos Iſchuriæ obtinet diviſio in *veram* et *notham*: illa fit vitio veſicæ vel urethræ; hæc renes vel ureteres in culpa eſſe ponit. In priori ſpecie, veſica urina plena; in poſteriori, vacua invenitur. De priori, ſeu Iſchuria veſicali, vitio veſicæ vel urethræ oriente, hic paucis diſſerendum eſt.

Ischuriam veram comitantur mingendi cupiditas; tumorque in regione pubis et lumborum, qua pondus, tensio, dolor, et ardor ab ægro sentiuntur. Et hoc modo a notha dignoscitur; quam præsentem esse dijudicamus, si adsit dolor obtusus, aliquando lancinans, et gravitatis sensus, circa renes aut lumbos; etsi hæc signa non raro absunt*: nullum est ægro mingendi desiderium, immissoque cathetere, nihil urinæ effluit. Ad hæc signa præterea interdum accedunt dolores Ischiadici, cardialgia, et (quod etiam frequenter contingit in calculo renum vel ureterum, sine urinæ suppressione concomitante) ipse vomitus †.

Ischuria vera a Dysuria eo differt, quod in illa, urina vel omnino retineatur, vel parva admodum copia, sine dolore, et plerumque præter voluntatem destillet: in hac vero, notabili cum difficultate, conatu vel dolore lotium redditur, licet sæpe quantitate, non multum naturali minori.

A stranguria distinguitur, quod in hac, aliquando cum conatu, ardore, continuaque ad meiendum irritatione, guttatim prodeat urina; majori tamen ut plurimum, quam in Dysuria, copia, ratione ad tempus habita. Urinæ incontinentiæ opponitur Ischuria.

Per Ischuriam ergo intelligimus talem urinæ excretionem impeditam, qualis in

* Vid. Bonet. sepulchret. anat. vol. 2. p. 610.
† Juncker. conspect. med. p. 800.

maximum

maximum vitæ periculum ægrotum adducit: nec, ut Iſchuria vocetur, neceſſe eſt, ut nobis apparet, urinam per plures dies (quod nonnullis clariſſimis autoribus viſum eſt*), plane ſupprimi debere; quum, ſive per unum, vel plures dies effluere impediatur, Iſchuriæ nomen mereatur.

Et hæc Iſchuriæ definitio aptior eſſe videtur, cum ab omnibus autoribus conceſſum ſit, Dyſuriam et Stranguriam, etſi priorem ab Iſchuria tantum gradu differre non diſſimulandum eſt, plus moleſtiæ, quam diſcriminis ſecum afferre; dum Iſchuriam valde periculoſam, graviſſimiſque ſymptomatibus ſtipatam, iidem autores agnoſcunt.

CUM Iſchuria non confundenda eſt urinæ imminutio, vel ſuppreſſio per humorum copioſam in aliam partem derivationem; ut iis, ſole ſub ardente multum ſudoris excernentibus, vel diarrhœa laborantibus quandoque accidit. De priori exemplum profert in ſeipſo DURETUS, qui, Lutetia Lugdunum proficiſcens, cum adhuc admodum juvenis eſſet, toto itinere vix ſepties octieſve urinam profudit†. De poſteriori obſervavit DEGNERUS, urinam in dyſenteria epidemica per ſex, octo, decem, imo etiam quatuordecim dies retineri, ut vix guttam redderent‡. Hæc Iſchuriæ ſpecies quoſdam apud autores *ſymptomatica* audit: ejus cog-

* Ut Junkero, ibid.
† Comment. in Hollerium de morbis internis, p. 496.
‡ Teſte Van Swieten comment. in aphor. vol. 2. p. 395.

nitio eſt expedita, quia ſine dolore ſeſe manifeſtat. Sed huic, ut præcipue ad Iſchuriam notham pertinenti, jam plus ſatis immorati ſumus.

Huic malo præcipue obnoxii ſunt, qui, ætate potiſſimum juvenili et virili gaudentes calidis ſpirituoſis, et diureticis abutuntur *. Et hic non alienum eſt memorare, quod cel. Wintringham obſervaverit, in æſtate anni 1723, quæ admodum fuit ſicca, minus vero calida, regnantibus ventis ſeptentrionalibus et orientalibus, multos difficultatibus urinæ torqueri †. Hæcce obſervatio ad aliam clar. Hoffmanni quadrat, qui notavit, ſpirante borea, ſpaſmos ac dolores veſicæ, partiumque internarum, ingraveſcere ſolere ‡.

Ischuriæ veſicalis variæ poſſunt exſtere cauſæ; quas, methodi gratiâ, nobis in *internas* et *externas* dividere viſum eſt.

Causarum internarum primariæ ſunt ſequentes; ſcil. veſicæ, ejus colli, urethræ inflammatio, ſpaſmus; urinæ acrimonia, ac diuturna retentio; paralyſis; calculus veſicæ vel urethræ; apoſtema; proſtata tumida vel ſchirroſa; pituita, pus, grumus, caruncula; hernia cyſtica, aut alia; tumor cujuſcunque generis harum partium; meatus urinarii coalitus: vitia partium vicinarum; ſcil. tumor quicunque; fæx dura; flatus; hæmorrhoides

* Junckeri conſpect. med. p. 800.
† Comment. Noſolog. p. 66.
‡ Med. rat. ſyſt. pars ſecunda tomi quarti, p. 423.

internae

internae; inflammatio; uterus a fœtu aut alia quapiam materia diſtentus; gonorrhœa; materies febrilis, podagrica, ſcorbutica, eryſipelatoſa, rheumatica retropulſa; menſtrua et hæmorrhoides ſuppreſſa: quibus adhuc plura facile addi poſſent.

Causæ externæ etiam ſunt multifariæ; quarum præcipuæ ſunt vulnus; contuſio circa pudenda, os pubis vel regionem veſicæ; vertebrarum luxatio; frigus.

Cum non ignari ſimus, nullam perfectam morbi curationem fieri, ſi cauſa nos lateat; ad cauſarum jam memoratarum explicationem nunc noſmet convertamus.

Veſicæ &c. inflammatio.] Hæ partes, non ſecus ac aliæ, inflammationi ſunt obnoxiæ; verum inflammationi occaſionem ſæpius præbent calculi, materiave quæpiam aliena in veſica contenta, quam ſpiſſus et phlogiſticus ſanguis. Cum veſica inflammatione tentatur, etiamſi in ipſa cervice ſedem ſuam non habeat, ſphincterem tamen adeo ſpaſmodice conſtringi, et per conſenſum affici poſſe, ut ne vel guttula urinæ deponatur, hodie nemo non fatetur. Cum vero veſicae collum vel urethra inflammatur, facile concipere poſſumus, quomodo a tumore, qui plus minus omnes fere inflammationes comitari ſolet, urinae intercludatur via. Iſchuria ab hac cauſa orta, infrequens eſt; ſed quando contingit, ſaevior plerumque evadit, propter urinam acrem, partem inflammatam perpetim alluentem: cognoſcitur

tur ex concomitantibus ardore, tumore, ac dolore, in regione pubis; frequenti desidendi stimulo; et febre, plusve minusve acuta. Si solum vesicae collum inflammatione vexetur, quod frequentius evenit, tumor ac calor digito, in anum immisso, saepe percipi possunt (digitum oleo prius immergere convenit): quinetiam tenesmus huic malo non raro sese adjungit; nec non ani * constrictio; alvi siccitas; anxietas; frigus extremorum; et vomitus. Observavit magnus BOERHAAVIUS, urethram post gonorrhoeam, inflammationibus obnoxiam relinqui; additque, hoc mali genus non infrequens esse †.

Spasmus.] Quando a spasmo Ischuria vesicalis originem suam trahit, sphincterem, ut videtur, ut plurimum occupat; si enim vesicae corpus spasmo laboraret, ejus effectus esset urinam copiosius exprimere. In omni Ischuria vesicali, quae causam suam habet supra urethram positam (ea forte a tumoribus, collum vesicae obturantibus, vel comprimentibus, paucisque aliis quibusdam exceptis), sphincter spasmo, seu quadam constrictione affligitur: sive hic spasmos a quadam physica causa, *v. g.* calculo vesicam irritante, dependeat; sive a mutatione aliqua, nervis spincteris inducta. Spasmus igitur cervicis vesicae videtur esse causa proxi-

* Heister compend. med. p. 252.
† Comment. in Instit. § 821.

ma

ma cujusque fere Ischuriae verae. Urinae ab hac causa ortam suppressionem, hypochondriaci, hysterici, maniaci, melancholici, iique qui mobili systemate nervoso praediti sunt, prae caeteris, patiuntur. Sic ex sola constrictione hysterica clar. HALLERUS vidit Ischuriam undecim dierum *; et cl. RUTHERFOORD, in hac academia medicinae professor, in praelectionibus suis tradit, se vidisse in maniacis urinae retentionem, cum alvi suppressione conjunctam, quae duas tresve septimanas duraverat. Cum spasmus adest, aegri stricturam † quandam circa collum vesicae percipiunt, et catheteris immissio ad cervicem usque facilis est, sed aliquando non ulterius. Alvi adstrictionem, vel prodromum, vel comitem pene semper habet Ischuria.

Hoc spasmo, et ejus consecutione, Ischuria vera scil. infantes laborare videntur ex vitiato lacte nutricis; aut ab errore in diaeta, si ablectentur; cum vel ‡ nihil urinae reddunt, vel guttatim et cum gemitu. Dum hoc malo excruciantur, lac ex mamma copiose exsugunt, neque tamen urinam reddere possunt ||. Acidum frequenter in causa est.

Urinae acrimonia ac diuturna retentio.] Vesica, a nimia urinae copia diutius cohibita, admodum distenta, omnem vim se contra-

* Comment. in Instit. § 366.
† Heisteri compend. med. p. 253.
‡ Hoffman. med. rat. vol. 3. p. 493.
|| Ibid.

hendi

hendi brevi amittit; dum ſphincter ſpaſmo corripitur, et, pro ratione diſtentionis, ſemper conſtringitur. Urina adhuc ex ureteribus in veſicam deſtillare pergit, donec, ex magna diſtractione, illae veſicae fibrae muſculares, quarum ope urina expellitur, paralyticae evadant: imo ob urinam diu retentam, non deſunt ruptae veſicae exempla*. Licet autem hunc finem Iſchuria perraro habeat, ſaepiſſime tamen inflammatio, et ſphacelus, urina augeſcente, moraque et calore loci † acriori reddita, preſſo pede ſequuntur. Haec ſunt longe frequentiſſimae Iſchuriae veſicalis cauſae; et ex aegri relatu novimus, an, propter modeſtiam, vel urgens aliquod negotium, urinam deponere nimis diu diſtulerat. Rarum modeſtiae in cane exemplum refert BOERHAAVIUS ‡, qui, verecundum animal, quod, ad anatomen deſtinatum, incluſerat, perfecta, ob urinam diu ſuppreſſam, Iſchuria detentum invenit. Cel. aſtronomus

* Apud Peyer. Poeon. Pyth. exerc. p. 60. Wendland Phil. Tranſ. n. 99. et in bove vidit Ledelius, teſte Hallero, comment in inſtit. § 384.

† Quam acris urina, in veſica diu retenta, fieri poſſit, ex hiſtoria, ab illuſtri Van Swieten relata, patet, qui hiſce verbis utitur. "Senex, in hac urbe rei frumentariae mercator, Iſchuria laborabat: chirurgus, in ſimili caſu huic aegro levamen per catheterem immiſſum afferre ſolitus, aberat: noluit alteri curam committere aeger; ſic manſit uſque in diem ſequentem, donec in urbem rediret chirurgus, qui, cathetere immiſſo, eduxit urinam, tam putridam, ut argenteum catheterem iridis coloribus tingeret, et chirurgum ipſum, qui incautius hauſerat putridiſſimae urinae halitum, levi peripneumonia afficeret per aliquot dies." Comment. in aphor. vol. 1. p. 131.

‡ Comment. in inſtit. § 821.

Tycho

TYCHO DE BRAHE hoc morbo extinctus est *.

URINAE acrimoniae raro debetur Ischuria; etsi aliquando, in febribus quibusdam, tam acris et vere alcalina evadat, ut cum spiritu nitri mista, quam maxima sequatur effervescentia †. Attamen, dysuriae potius, quam Ischuriae favere observatur. Urinam hujusgeneris in culpa esse cognoscimus, si aeger, praesertim senex, lotium foetidum antea reddiderit.

Paralysis.] Resolutio ipsius corporis vesicae non raro in senibus occurit† ; et, si sphincter paralysi libera manet, illa causa Ischuriae evadit, quae toties ejusdem effectus est. Casum refert Ischuriae quatuor, vel quinque dierum Doctor MURDUCK, in quo aeger catheterem pertinaciter respuit ‡ ; ille vero, quinto die, relaxationem *extrusorum* urinae suspectam habens, aegro corticem Peruvianam dedit, et morbum sanavit. Sed quid, quaeso, per extrusores urinae intelligitur ? Nihil, ut opinor, praeter musculosam vesicae tunicam ; et hanc pene resolutam esse debere, per Ischuriam vesicalem quinque dierum, omnes agnoscent. Utcunque vero res se habet, non inutile est scire, Ischuriam hancce per Corticem sanatam fuisse.

HUIC quoque causae refertur urinae suppressio, quae in deliriis et soporosis affectibus aliquando contingit || ; nec non ejus

* Ibid.

† Heister. ibid. p. 257.

‡ Lond. med. obs. et inquir. vol. I. p. 81.

|| Riverii opera, p. 363.

retentio ex abusu narcoticorum, sed praecipue, opii, de qua Jacchinus *. Nulli †, vel leviores hanc speciem dolores comitantur.

Calculus] Ischuriae ansam dare potest duobus modis; scil. vel ob calculum, vesicae ostio objectum ‡, vel ob irritationem corporis vesicae, exquisito sensu praeditae: prior causa longe frequentior est posteriori, quae, quando contingit, sphincterem semper in consensum raptum, et spasmo affectum, denotat. A calculis, in vesica hospitantibus, non solum tunica interna stimulatur, verum etiam nonnunquam tota vesicae substantia exeditur, et urina per abdomen effunditur; cujus exemplum videre licet apud Bonetum ||. Calculus in causa esse noscitur ex signis praegressis, scil. sensu gravitatis in vesica; pruritu quodam circa pubem et perinaeum; frequenti ad meiendum irritatione; urina guttatim prodeunte, et maximo cum cruciatu; dolore in glande penis post mictionem; calculi volutatione; mictu in quadam corporis positione tantum facili; et urinae pleno rivo prodeunti subito impedimento; quibus, in infantibus, accedit quaedam titillatio, ut genitalia perpetuo scabant. Haec autem saepe fallunt; dum perceptio calculi per catheterem, digitumve in anum immissum, unicum est signum pathognomicum.

* Teste Sennerto. tom. 1. p. 405.

† Heister ibid.

‡ Boerhaavius possidebat calculos piriformes, qui ostium urethrae perfecte obturaverant.

|| Sepulchret. anat. tom. 2. de Ischuria.

Ut

Ut calculus veſicae non infrequenter ſit Iſchuriae cauſa, ita in urethra exitum urinae intercludere poteſt. Urethrae inhaerere novimus per tactum, vel catheterem. Arenam egreſſum urinae prohibere detegimus, a materie arenoſa, prius cum urina emiſſa; quanquam raro obſtruat, niſi lentus humor vel pituita adſit.

Apoſtema.] Abſceſſus, perinde atque inflammatio, Iſchuriae cauſa fieri poteſt, ſed ſolummodo ob ejus molem: et Benevolus toties abſceſſum in glandula proſtata eſſe Iſchuriae cauſam invenit, ut crederet, mala, quae alii autores caruncul is adſcripſerunt, ex hoc fonte ſolo emanare *. Quod haec cauſa praeſens ſit, ſenſus gravitatis in hac parte, horripilationes vagae, et quod multo maximum eſt, ſigna inflammationis antegreſſae indicant.

Tumida vel ſchir. proſtata.] Ab hac proſtata aequo majore, atque indurata, lethalem urinae ſuppreſſionem vidit cel. Morgagnus †; et cel. Heisterus aliquoties Iſchuriam, ab hac cauſa ortam, obſervavit ‡. Si ejuſdem glandulae ſchirrus viam urinae denegat, tumor durus, indolens, vel leviter tantum dolens, in perinaeo per tactum vel catheterem percipitur.

* In libello de caruncule urethrae; teſte Heiſtero, ibid. p. 253. et chirurg. p. 11. 138.

† Adverſ. anat. III. p. 83.

‡ Ibid. p. 251.

Pituita.] Ope muci vesica mollis, laxa ac lubrica servatur; et contra urinae stagnantis acrimoniam defenditur: Si hujus muci secretio, ab attritione et irritatione calculi, vel cujuspiam aliae materiae, in vesica contentae, aut ab aliis corporis partibus huc delatae, multum augeatur; lentior redditus, imo quandoque solidescens, obstruendo collo vesicae, vel urethrae aptus fit. Ab hac causa iter urinae raro occluditur; verum praesentem esse dijudicamus, si muci magna copia per mictum ante excerni consuevit.

Pus, e renibus in vesicam descendens, vel ex vesicae ulcere natus *, aliquando Ischuriae viam sternit. In hoc casu vesica vehementissimum dolorem patitur, ac ab eo, qui calculum comitatur, non differentem †: stomachum etiam saepe per consensum affici, his verbis testatur Celsus, "non ignoramus, orto vesicae ulcere, saepe stomachum affici, cui cum vesica quoddam consortium est, exque eo fit, ut neque retineatur cibus, neque si quis contentus est, concoquatur, neque corpus alatur ‡." Si pus a renibus antea destillavit coctum et minime foetidum, renes accusantur; sin uri-

* Cel. Sharp exulcerationem vesicae esse morbum admodum rarum affirmat, et mucum esse, qui puris speciem adsumit †: verum certior factus sum ab illustri medico, in hac urbe, luculenta in praxi versato, hoc malum non modo non rarum esse, sed etiam satis frequenter occurrere.

† Heister. ibid. p. 258.

‡ Libr. 7. cap. 27. p. 486.

† *Treatise of surgery*, p. 81.

na,

na, prius depoſita, purulenta, foetida et nonnunquam ſanguinea eſſet, pus ex ulcere veſicae provenire cognoſcimus. Quando collum veſicae ulcere vexatur, vel urethra ſincerum pus, abſque urina, excernitur *. Cum inſuper corpus veſicae, aut illius cervix ulcere affligitur, dyſuria perpetua adeſt, cum continuo dolore, in parte affecta conjuncta †; quae ab ulcere renum procul abſunt.

Sanguis etiam, ſive a renum, ureterum, vel e veſicae ipſius vaſis procedat, interdum adeo concreſcit ‡, ut orificium veſicæ aut urethram obſtruat; vel fibras veſicae ſenſiles ſtimulando, ſphincterem ſpaſmo corripiat. Hanc cauſam mictio cruenta praecedere ſolet; et dignoſcimus ex veſicae vaſis prorupiſſe, a difficultate mingendi ||; ardore circa anum cum teneſmo; et dolore pungenti, a glande ad perinaeum affligente, rigidaque penis tenſione ſtipato.

Caruncula.] Cum urinae impedimento eſt caruncula (ſive, ut cum Brunero loquar, cicatrix tantum, vel, cum aliis, urethrae ſtrictura) gonorrhoeae ut plurimum originem ſuam debens, Iſchuria ſenſim obrepit, et urina parvo et ſubtili rivo effluit, qui paulatim minuitur, et demum integre ſupprimitur.

* River. opera. p. 359.

† Ibid.

‡ Boerhaavius vidit ſanguinem, hic concretum, vermium ſpeciem prae ſe ferre; et idem obſervavit de pituita. Comment. in Inſtit. § 821.

|| Hoffman. med. rat. p. II. tom. 4. ſect. II. cap. vi.

Praeterea

Praeterea, carunculam urinae tranſitum impedire cognoſcimus, per catheterem aut ſpecillum plumbeum : aeger quoque mingendi cupiditate laborat, ab irritatione materiae alienae, urethrae inhaerentis.

Hernia cyſtica aut alia.] Non deſunt exempla veſicae, in ſcrotum, per foramen muſculi obliqui externi, vel ſub ligamento Poupartii, ſic delapſae, ut inde hernia inguinalis, ſcrotalis, vel femoralis fiat *. Häec ſi in molem magnam increverit, urinae retentionem ſequi poſſe obſervationes docent †. Narrat Boerhaavius ‡ hujus mali hiſtoriam in Judaeo, qui, dum nuptias ſuas celebraret, veſicam pleniſſimam exonerare diſtulerat. Miſer hicce ſemel intra viginti quatuor horas lotium reddebat ; tribuſque antea quatuorve horis talibus doloribus afficiebatur, qualibus mulier parturiens. A meſenterio ac tenuibus omnibus inteſtinis, in ſcrotum protruſis, et collum veſicae comprimentibus, Iſchuriam vidit Sala **.

Tumor harum partium.] Hujuſmodi exempla apud Bonetum, Schenkium, alioſque paſſimoccurrunt ††. Horum prior miram ſatis Iſchuriae cauſam refert, ſcil. carnem

* J. Dom. Sala, Platerus Bonetus, Ruyſch, Petit, Mery, et M. Verdier, (teſtante cel. Pot, Treatiſe on ruptures, p. 226.) tales caſus memorant.

† Horum jam memoratorum clar. virorum.

‡ Com. in inſtitut. § 712.

** Bonet. ſepul. anat. tom. 2. obſ. 18. de Iſchuria.

†† Ibid. obſ. 10.

fungoſam

fungoſam, ex veſicae fundo per ipſam urethram excreſcentem, ipſamque obturantem. Rarum quoque Iſchuriae caſum, a cl. Whytt, in hac academiae medicinae profeſſore, mecum nuper communicatum, jam enarrabo.

Vir generoſus, quinquagenario major, qui complures ante annos, frequentius ſolito mingere coactus fuerat, et de neſcio qua congeſtione circa veſicam per aliquod tempus fuerat conqueſtus; poſt plenum cibum, primo, dolore circa os pubis, dein totali urinae ſuppreſſione, corripiebatur. Viginti quatuor horis elapſis, intromiſſus eſt catheter; at parum tantum urinae effluxit. Medicus cel. tunc largam ſatis laudani liquidi doſin aegro propinavit, hoc cum emolumento, ut die ſequente, magna lotii quantitas praeter voluntatem profluxerit. Tumor tamen et tenſio ſupra os pubis manebant; nec urina exivit, niſi parva copia, eaque emiſſa, aeque dum aegrotus in ſomno, vigiliave verſaretur. Catheteris introductio iterum atque iterum tentabatur, ſine ullo alio effectu, atque urinae cochlearis unius, alteriuſve effluxu. Tandem die morbi xvii. urinam copioſe reddidit; hoc vero non obſtante, die xix, vitam, ſed non antequam leucophlegmaticus evaſiſſet, cum morte commutavit. Aperto cadavere, phaenomena, quae ſequuntur, oculis ſeſe obtulerunt.

Vesicam inter et inteſtinum rectum inventus eſt tumor, poſteriorem partem et latera

veſicae

veſicae occupans, praecipue autem, ſecundum latus dextrum, quod valde craſſum erat, ſeſe extendens. Veſicae tunica interna inſigniter flaccida erat, et, perinde quaſi ab aliis tunicis ſejuncta, valvae non abſimilis, ſupra veſicae collum pendebat ; etſi eadem haec tunica interna, a veſicae collo furſum ad initium hujuſce plicaturae, tenſa admodum ac dura erat. Veſicae partes induratae ureteres amplectebantur ; horumque dexter maxime diſtentus erat, ejuſque orificium adeo anguſtum, ſi non omnino occluſum, ut urinae deſtillatio in veſicam, ſi ulla fuerit, renis ejuſdem lateris ſecretioni nullo modo reſponderit. Veſica urina dulci et inodora reperta eſt plena ; et nihil erat quod cenſeremus, urinam diu in veſica remanſiſſe : duobus enim ante mortem diebus, ut ſupra diximus, magnam urinae copiam reddebat aeger ; et poſtea urinae ſtillicidio ad vitae finem uſque laborabat.

Ex his perpenſis veriſimile videtur (cel. inſpector cadaveris obſervare pergit) urinam nullum e veſica exitum invenire poſſe, donec adeo diſtenta eſſet, ut iſtam plicaturam parum ecedere faceret ; et, ſimul ac iſte gradus diſtentionis minueretur, eandem plicaturam veſicae orificium ſtatim occluſiſſe. Hac ratione, veſica ſemper urina referta erat, eo quod nulla major urinae copia per catheterem educi poterat, quam ea, quae infra plicaturam erat ; et quae, ultima evacuatione excepta, cochlearia duo vel tria quantitate

titate non superabat. JOHANNES MACGILL, chirurgus nuper Edinensis, refert Ischuriae casum, huic aliquatenus similem *.

Meatus urinarii coalitus.] Sic BOERHAAVIUS Ischuriam vidit a parte urethrae exulcerata, intra octo vel decem somni horas, quibus aeger potu non usus est, perfecte concreta; haud aliter quam palpebrarum, limbi aut oris labia, aut exulcerati digiti aliquando concrescere solent; additque, hoc mali genus aegre curari. Alio in loco haec verba habet idem auctor. "Ischuria ‡ visa est, in qua nulla urina efflueret, et catheter ex vesica excluderetur: extincto homine, in cadavere reperiebatur tumor, collum vesicae obsidens, non in cavitate ipsa, sed ad latus, ut via penitus connata, urinam omnem retinuerit †."

IPSE puerum vidi, cujus peni alter ludibundus puer filum arcte injecit; hoc cum effectu, ut, partibus supra et infra ligaturam tumentibus, filum brevi evanesceret; dum latera urethrae adeo stricte comprimebantur, ut non posset non impediri mictio. Iracundiam parentum reformidans misellus, dolorem a ligatura, ac urina urgenti ad sequentem diem usque celabat; quo tempore filum viam sibi in urethram secaverat, per quam lotii magna copia exivit. Urina per

* Med. Essays & obs. vol. 6. p. 287.
† Com. in Instit. § 821.
‡ Ibid. § 709.

aliquot dies ex hoc orificio excerni pergebat, antequam aegri parentes a chirurgo consilium peterent; qui tandem accitus, et urethrae latera infra ligaturam, ex contactu perdurante, concreta inveniens, transitum urinae naturalem reddidit instrumento, *celato Trocar* dicto; aptaque encheiresi chirurgica puerum sanavit. Dolor, quem hicce puer toleravit haud absimilis erat illi, quem saevissimus, inhumanissimusque tyrannus, TIBERIUS, ad inimicos, et quos odio habebat, excruciandos, excogitavit *.

Tumor quicunque vicinarum partium.] Inter numerosas, easque satis miras, plurimos apud auctores inveniendas Ischurias, ab hac causa natas; hanc occasionem amplector narrandi Ischuriae casum, a cl. MUNRO juniori, in hac academia medicinae professore, haud pridem mihi impertitum; tamque insolitum, ut nullus auctor, quantum novi, talem vulgaverit.

VIR, annos triginta et quinque agens; habitu gracili praeditus; haemorrhoidibus obnoxius, et vitae sedentariae adsuetus, in frequentem, at non dolentem, mictionem incidit. Femora ejus et crura dolore vexabantur; nec non ossis ilii pars interna, ut non facile sedere posset, nisi cum corpus ad latus sinistrum inclinaret. Varia medicamenta expertus est, sine fructu; donec tandem, elapso jam a prima invasione anno,

* Ibid. § 366, teste Boerhaavio.

urina

urina tantum guttatim proruperit, et, poſt tres menſes, in ſuppreſſionem urinae dilapſus eſt miſer. Renixus tam fortis circa collum veſicae catheteri obvenit, ut ejus immiſſio omnino erat impoſſibilis; et digito in anum introducto, magnus tumor inteſtinum rectum inter ac veſicam percipiebatur. Dolor, tumor et tenſio circa pubem ingraveſcebant ad mortem uſque, quae poſt menſem ſequebatur. Æger, per totum hoc tempus parvam urinae copiam de die reddebat, illamque magno cum dolore, et difficultate, genibus innixus, inclinato ſimul antrorſum corpore, et abdomine manibus ſuis compreſſo. Alvus admodum ſtricta erat. Ante mortem ejus crura, pedeſque oedematoſi facti ſunt. Cadavere, die ſequente, aperto, aquae librae duae in abdomine inventae erant, et colon faecibus refertum. Veſica (quae ipſa erat ſubrubri coloris, ſupraque umbilicum extendebatur, et cujus aliqua pars, recto vicina, ſphacelo afficiebatur) tunicis ſuis craſſior juſto apparebat, ſpiſſamque ac turbidam, urinam, *Coffee* dicto haud abſimilem, ad libras octo capiebat. Veſica depleta, in conſpectum venit tumor, intra os ilium ſiniſtrum ſitus, qui veſicam ex pelvi prorſus extruſerat, et ejus collum contra os pubis adeo fortiter compreſſerat, ut catheter immitti non poſſet. Ren ſiniſter major conſueto erat, ac mollior; et ejuſdem ureter, qui ſupra tumorem pertranſivit, digitum ca-

pere poterat. Tumor hicce, duos mole pugnos aequans, tunica forti et tenaci gaudebat, quae materiam, parti cinericiae cerebri, jam putrefcenti, fimilem continebat. E latere pelvis dextro alius aderat tumor, altero plus dimidia parte minor, in quo erat contenta materia, a femine bene concocto haud diverfa, at fpiffior. Ambobus erat figura, irregulariter rotunda; et ambo, una cum inteftino recto, totam pelvis cavitatem occupavere, et veficae rectoque adeo valide adhaeferunt, ut non nifi cum difficultate ab iis feparari poffent. Unus ex mortui amicis dixit, aegrum faepe conqueftum fuiffe de dolore teftium; verum aegrotus, ut homo erat modeftiae non vulgaris, hoc omnes alios celabat: amicus idem etiam narrabat, fe credere, illum nunquam cum femina rem habuiffe*.

Faex dura.] Apud Bonetum proftat Ifchuriae cafus a folis fcybalis, inteftinum rectum implentibus, ac collum veficae prementibus †. Apud eundem auctorem extat exemplum urinae retentae, a flatu, in inteftino recto collecto, multis cum liquidis excrementis ‡.

Hæmorrhoides internae dupliciter Ifchuriam efficere poffunt, fcil. vel ob earum molem, collum veficae prementem; vel ob inflammationem, acutiffimum dolorem, et

* Hofce tumores non alios fuiffe quam induratas, ac admodum diftentas veficulas feminales, unicuique hunc cafum fedulo perpendenti, ni fallor, apparebit.

† Ibid. ‡ Ibid.

tenesmum, quae saepe pariunt, sphincterem vesicae per consensum afficiundo.

Apud Hoffmannum habetur historia Ischuriae fatalis, a coagulato sanguine, qui ex vulnere omenti in ipsam pelvim stillaverat, et valde comprimendo vesicae collum, saevissimos dolores, et Ischuriam fecit, quae brevi aegrum de medio sustulit *.

Cel. Amyand casum narrat feminae, quae Ischuria laborabat, propter sanguinem menstruum a carunculis myrtiformibus, post partum concretis, inclusum, urethramque prementem. Apertura transversa facta, sanguinis libris sex exitum dedit; et urina exinde sine impedimento profluxit †.

Inflammationi recti aliquando debetur urinae suppressio; nam vesicae sphincterem inter et rectum, non solum a fibrarum connexione, sed etiam a nervis, ab eodem plexu hypogastrico provenientibus, mutuus quidam consensus locum habere videtur; adeo ut, hoc inflammato, ille in mali consortium trahatur.

Foetu.] Gestationis tempore, mense vero potissimum quarto, aut quinto incipiente, vesicae collum ab utero gravido ita comprimitur, ut fluxus urinae aliquando, etsi raro, intercipiatur. Hoc malum quoque ex utero paulo inferius in vaginam descendente contingit ‡; nec non, si ovum non fundo,

* Med. rat. pars II. tom. 4. p. 426.
† Phil. transf. abridged, No. 422.
‡ Smellie's midwif. vol. 2. p. 123.

contingit;

ſed uteri collo adhaereſcat, quod ideo primo dilatationem patitur, omniaque in pelvi contenta neceſſario premit: hinc urinae retentioni ab hac cauſa ortae, nonnunquam accedit difficultas alvum deponendi. Hicce morbus autem frequentius fit in partu difficili ac protractiori, a foetus capite, pelvi inhærente, et veſicae cervicem, urethramque comprimente *; dum corpus veſicae, preſſu uteri, liquore amnii expulſo, nunc mole diminuti, levatum, a copia urinae influente facilius ſeſe diſtendi patitur. Et poſt partum, quando compreſſio tollitur, non raro evenit, quod fibrae, ultra modum prius extenſae, urinam expellere nequeant, praeſertim ſi veſicae cervix, vel urethra tumore aut inflammatione vexetur; in quo caſu aegra vehementibus doloribus lumborum, dorſi, inguinum, at maxime partium, ſupra os pubis poſitarum, plerumque excruciatur †.

Eodem modo, mala ex ſchirroſo, calloſo utero, ſero aut aëre repleto, tumoribuſve partium vicinarum quibuſcunque, facile cum veſica communicari poſſunt; quorum ſimilia plurima vitia apud Schenkium, Bonetum, alioſque obſervatores inveniuntur.

Gonorrhoea.] Sic Hoffmannus, a gonorrhoea venerea, perperam et nimis cito

* Smellie's midwif. vol. 1. p. 162.
† Ibid.

curata

curata, morbos veſicae, urinaeque retentionem induci, ſaepius obſervavit *.

Materies podagrica, &c. &c.] Idem HOFFMANNUS generoſi cujuſdam caſum narrat, qui podagricus, imo pedibus jam dolentibus, iter milliarium aliquot fecit, ſub aëre valde humido et frigido: dolores quidem abibant, ſed poſtea urinae partiali retentione corripiebatur †.

TOTIES jam memoratus auctor alium Iſchuriae partialis caſum memorat, a materia ſcorbutica purpuracea retroeunte, ob frigus admiſſum, crebriuſque celebratam venaeſectionem ‡.

AD hunc modum Iſchuria, ſuppreſſo haemorrhoidum aut menſium fluxu ſaepe oritur, praeſertim in plethoricis, et feminis poſt quinquageſimum annum; hinc quoque inflammationes ac ſphaceli veſicae, et inteſtini recti aliquando ſequuntur.

Dum haec ſcribo, in Noſocomio Edinburgenſi manet aegra, quae Iſchuriam duorum dierum, nec non alvi pertinaciſſimam adſtrictionem duarum ſeptimanarum, jam multoties experta eſt. Haecce miſera tandem in Iſchuriam totalem incidit, quae ſex integros dies durabat, propterea quod catheterem obſtinate reſpuebat. In toto morbi curſu nihil novi occurrebat, niſi quod, tertio die, ae-

* Med. rat. ibid. p. 414.
† Ibid. p. 419.
‡ Ibid. p. 415.

grota,

grota, de dolore pungente oculorum, non ſecus ac ſi (ut ejus verbis utar) vitrum contuſum in illos immitteretur; et de ſapore urinoſo, qui, quarto die exortus eſt, multum conquereretur. Dolor oculorum, poſt Iſchuriam ab enemate terebinthinato ſolutam, dies adhuc aliquot perſtitit; ſapor vero urinoſus ſimul cum Iſchuria evanuit. Oculos in hoc morbo aliquando pati, ex ſequenti quoque obſervatione, a cl. Cullen, in hac academia medicinae profeſſore, in praelectionibus ſuis tradita, conſtat. "In Iſchuria notha, cum jam per ſeptem dies ſubſtiterat urina; in ſiniſtri oculi tunica adnata apparebat rubedo, quae in horas invaleſcens, palpebras etiam, et partes vicinas occupabat; quae tandem omnes, ſanguine effuſo, liventes et tumidae, ut in ſugillatione, conſpiciebantur."

Ad caſum, magis inſolitum, nunc pervenimus.

Diu valetudinaria, delicata, et valde mobili ſyſtemate nervoſo praedita virgo, circiter annos nata unum et viginti, cui menſtrua nunquam ſecundum periodos regulares effluxerant, aliquando per menſes prorſus retenta; poſtquam fluxus iſte ſalutaris duabus horis duraviſſet, at tunc ſubito fuiſſet ſuppreſſus, in totalem Iſchuriam dilapſa eſt. Summus ſequebatur dolor in regione veſicae, maximuſque urinam deponendi teneſmus; juſto vero

vero verecundior misera, causam hujus cruciatus pertinaciter reticebat. Bidui vel tridui aderat alvi adstrictio. Die ab urinae suppressione secundo, nausea, et paulo post frequentiori aquae, saporis urinosi, exercebatur vomitu, qui tantum una cum Ischuria cessavit. Per id tempus, sudor ex toto corpore dimanavit, sed circa sternum praecipue, qua (ut una cum illa loquar) *cochleatim* facile colligi posset. Dolore capitis acerrimo torquebatur, et oculi ejus eundem dolorem pungentem, supra memoratum, patiebantur. Conaminibus illis naturae, scil. vomitu urinoso, ac perpetuo sudore, non obstantibus, vesica lotio distendi pergebat, intolerabili cum cruciamento, ad diei usque, ab invasione, sexti finem; quo tempore, urinae unciae plus minus octo, intra horae dimidium, cum levamine per umbilicum destillabant: et mihi dubium non restat, quin multo major copia per hanc viam dimitteretur, ni urinae circiter libris sex liberum transitum conciliavisset, et Ischuriae, et alvo strictae finem imposuisset, enema terebinthinatum. Eam invisebam paulo ante urinae per umbilicum eruptionem, aeque ac per totum morbi cursum, etiamsi morbum, quo laborabat, ego, pariter cum omnibus aliis, ignorabam; et maxime cruciatam inveni: pulsus erat tunc velox, sed non debilis; sitis adfuit ingens, summaque anxietas.

In hoc casu, jamjam relato, urinae vo-

mitus, et per umbilicum exitus notatu digna ſunt, at exitus praecipue ; nullus enim auctor, quatenus mihi notum eſt, Iſchuriae ſolutionem per umbilicum enarrat, praeter Andream Laurentium, qui ſic loquitur. "Puella quaedam, cum ſuppreſſa per multos dies fuiſſet urina, tandem per umbilicum urinam profudit. Narravit id ſaepius in ſcholis noſtris Bartholomaeus Cabrolius, chirurgus expertiſſimus, mihi amiciſſimus, et academiae noſtrae diſſector ordinarius. *"

Urinam, in duobus hiſce hiſtoriis, per urachum penetraſſe, prorſus indubium videtur, cum in utraque illarum, nulla hydropica ſymptomata ſe manifeſtabant. Vomitus urinoſi pauca habemus exempla, quae apud auctores infra citatos videri queant †. Miſſis jam cauſis internis, pauca de externis dicenda ſuperſunt.

Vertebrarum luxatio.] Cauſa quidem Iſchuriae poſſibilis, ſed rara. Immortalis Hippocrates dicit, "Medulla ſpinae ſi aegrotaverit, ſive ex lapſu, ſive ex alia aliqua cauſa, ſive ſponte ; homo et cruribus impotens fit, ut neque, ſi tangatur, percipiat, neque ventre aut veſica circa prima

* Schenk. obſ. med. p. 489. vel Andr. Laurent. lib. 2. quaeſt. 28. anatom.

† Bonet. ſepul. anat. vol. II. p. 622. Hildan. p. 344. Salmuth. cent. 2. obſ. 2. Marragoni hiſt. de l'acad. des Scienc. 1715. obſ. 3. Stalpart. obſ. 51. cent. 1. Helvet. in cane, cui arteriae emulgentes ligatae ſunt. Hiſt. de l'acad. des Scienc. a. 1722. p. 32. fidem faciente Hallero, Comment. in Inſtit. §. 375.

tempora

tempora ſtercus vel urinam egerat, niſi coactus. Quum autem vetuſtior factus fuerit morbus, non urgente homine, et ſtercus prodit et urina. Moritur autem poſt haec, non multo tempore interpoſito *." Ex hac obſervatione colligere eſt, a compreſſis nervis, non ſemper ſequi urinae incontinentiam, ſed aliquando ſuppreſſionem. Cum medulla ſpinalis injuriam patitur, ita ut Iſchuriam faciat, nervi, qui deferuntur ad veſicae corpus, reſolvi videntur, dum ii, qui ſphincteri proſpiciunt, illaeſi manent; his enim pariter laeſis, urinae incontinentia potius, quam Iſchuria, expectanda foret; vel urina clam dilaberetur.

Frigus.] Cum huic cauſae originem ſuam debet Iſchuria, frigus, ut videtur, intenſum eſſe oportet †; frigus enim moderatum non modo non urinam ſupprimit, ſed etiam movet, ac auget. Si frigus itaque in culpa ſit, vel ſenſum veſicae hebetari, ut nobis apparet, ſupponit, vel ſphincterem, ad quem formandum omnes fere veſicae fibrae muſculoſae colliguntur, fortius contrahi, aut ſpaſmo affici, vel utrumque ſimul locum habere. Et eodem modo explanari poteſt, quomodo contrarii affectus ab eadem cauſa producantur, ſcil. Iſchuria, et urinae incon-

* Prorrhet, lib. 2.

† Ut Amat. Luſitanus in cent. iv. curat. 10. Foreſtus, lib. 25. obſ. 18. et Pechlinus, lib. 1. obſ. 10. obſervant; teſte Heiſtero in chirurg. part. 2. cap. 137.

 tinentia,

tinentia, ut Riverius observat, qui sic loquitur. "Dicendum est, quando frigida "intemperies solum vesicae sensum immi- "nuit, vel abolet; fieri suppressionem uri- "nae, quia vesica non irritatur ad expellen- "dum: si vero facultas motiva laedatur, "quae est in musculo sphinctere, ab eadem "intemperie fieri incontinentiam, eo muscu- "lo relaxato" *. Hippocrates inquit, "Ex refrigeratione interceptio urinae, pes- "sima †."

Quoniam Ischuria gravissimis symptomatibus stipatur, quaedam eorum enarrare hic non absonum videtur. Primo occurrit anxietas; dolor capitis; inquietudines perpetuae; dein, circa diem sextum, vel prius, hebetatio; dormitatio; inundationes per insomnia ‡; sudoris ac animae foetor; imo nonnunquam ipse sanguis, ex brachio missus, urinam olet; vomitus; saliva urinosa; pulsus velox; sitis; delirium; respiratio rara ||; convulsio; lethargus, et ipsa denique mors. Quibus adhuc addere possum perceptionem quandam in oculis, quasi vitro contuso pungerentur.

* Oper. med. p. 362.

† In Coacis praenotionibus.

‡ Boerhaav. comment. in instit. § 384.

|| Cl. Whytt inquit. "In aegro, cujus cerebrum propter "Ischuriam afficiebatur, intervallum, unius expirationis finem "inter et initium inspirationis subsequentis, minutorum se- "cundorum, a septem ad decem, multoties observavi." Vital and involuntary motions, p. 192. Haecce Ischuria lethalis evasit.

Ordo

Ordo quidem nunc exigit, ut ſymptomatum, hunc affectum concomitantium, rationem dediſſemus: verum, cum vel ex urinae abſorptione, vel ex impedita lotii ſecretione, ſeri urinoſi eſt in ſanguine retentio, ejuſque putrefactio, lymphaeque, et, qui ex hac ſecernuntur, liquorum corruptio ſimilis *; haec ſymptomata ex notis urinae qualitatibus facile deducuntur; praecipue quando, in cerebri ventriculis, urinam ut plurimum reperiri, docuerit corporum, hoc morbo extinctorum, diſſectio †.

Bonum vel malum eſt Præsagium, pro cauſarum et ſymptomatum varietate. Boerhaavius ex multis obſervationibus ſtatuit, Iſchuriam perfectam, lethalem plerumque evadere, intra dies quindecim ‡. Apud obſervationum ſcriptores longioris Iſchuriae exempla ſunt. Partiali urinae ſuppreſſione laborans aeger, diutius inter vivos numerari poſſit. Melius tolerant Iſchuriam, quibus ſeroſae diarrhœæ ſuperveniunt ‖. Prognoſis eſt generalis, quod, ni cito removeatur, teterrima ſymptomata, ipſamque mortem ſibi adſciſcat. Iſchuria a vertebrarum luxatione, nervorum paralyſi, aut injuriis externis circa os ſacrum, vel perinaeum, plerumque eſt funeſta: itidem, ſi morbis acutis ſupervenit;

* Gaub. inſtit. Patholog. p. 287.
† Boerhaav. ibid.
‡ Ibid.
‖ Haller. com. in inſtit. § 374.

aut

aut ſi poſt ſeptimum diem febris inflammatoria Iſchuriae ſuccedit. Signa habentur fatalia, ſi ſudor jam incipiat ſapere et olere urinam; ſi aegri os urinoſo ſapore vitietur, vel naribus odor idem imprimatur; etſi in caſu, a nobis relato, ſaporem urinoſum ſignum non ſemper eſſe lethale, jam vidimus (vide p. 24.): ſi porro urinae ſuppreſſioni teneſmus ſupervenerit, aut ſingultus *. Peſſimum eſt ſignum, ſi affecti nullum ſentiant dolorem. In ſenes Iſchuria plerumque ſaevior evadit. A colluvie ſeroſa, in corpore retenta, Iſchuriam quandoque excipit hydrops; ſicut viciſſim hydropici hoc ſymptomate ſaepe anguntur †.

"Eſt autem in febribus Iſchuria aliquando critica, ut ea, quae vehementibus rigoribus ſupervenit, eſtque futurae criſis praenuntia," inquit DURETUS ‡.

VIDEAMUS jam quomodo natura, hoc morbo tentata, ſe levare conatur. HALLERUS vidit Iſchuriam, undecimo die ſponte ſublatam ||. Diarrhœa Iſchuriae aliquando ſupervenit, ob acre in corpore retentum, et in inteſtina delatum. Sic BENIVENIUS ait, quod puer duodecim annorum, cui per ſeptem dies urina fuit ſuppreſſa, eandem de-

* River. oper. p. 364.
† Juncker. conſp. med. p. 802.
‡ Com. in Hollerium, p. 496.
|| Ibid.

mum

mum per alvum excreverit, et ſanatus fuerit *. Schenckius memorat Iſchuriam ſedecim dierum, a diarrhœa aquoſa ſolutam †. Apud eundem obſervatorem habetur caſus fœminae, cui per ſemeſtre ſpatium, a terrore urina cohibita fuit; quae ubi rurſus effluere viſa eſt, alvus per quatuor menſes adſtricta fuit: tandem utriſque ſuppreſſis, urina circa ventriculi regionem, magna copia, odore et colore ſe proferens, exudavit. Praxagoras narrat, quendam ſe vidiſſe, cui urina ſede excernebatur per duodecim annos. Pueri hiſtoriam refert cel. Doctor Richardson, qui lotium nunquam reddidit, et perpetua diarrhœa laboravit ‡. Idem vidit Cardanus ||. Ex auribus urinam effluxiſſe vidit Platerus **. In thoracis celluſoſam fabricam regurgitaſſe vidit Ruyschius ††; in habitum corporis Fernelius ‡‡. Schenckius aliam enarrat Iſchuriae aliquot dierum hiſtoriam, a tumore, in ſiniſtra nate apparente, ita lenitae, ut, cum in ſuppurationem deductus eſt, in ulcus malignum degeneraverit; ex quo (urgenti nempe urina) lotium reddebatur. Plura,

* Schenckio teſtante obſ. med. p. 492.
† Ibid. p. 489.
‡ Phil. Tranſ. No. 337. p. 167.
|| Fidem faciente Schenckio, ibid.
** Teſte Hallero, comment. in inſtit. § 384.
†† Cent. obſ. med. chir. n. 56. teſte Hallero. ibid.
‡‡ De part. morb. L. vi. c. 12. Eodem teſte.

ra, eaque ſatis mira, enumerari poterant; ſed haec adduxiſſe ſufficit.

In urinae ſuppreſſione vero, etſi natura aliquando ſibi ſoli ſufficiat, plerumque tamen huic morbo ſuccumbit victa, niſi medicina auxiliarem porrigat manum. Et hic monendum eſt, quod poſt tempus quoddam, nulla ſit urinae vicaria excretio, ex qua nos dependere oportet; purgantia enim hydragoga, et ſudorifera potentiſſima, ut ſanguis illo acri retento liberaretur, ſaepe tentata ſunt, ſed fruſtra; nam funeſtus morbi eventus prorſus inevitabilis eſt, ni excretio urinae ſolita reddatur. Boerhaavius, ut ægrotis levamen adferret, et mortem protraheret, venam repetito ſecuit; vomitum bis de die movit, et alvum jalappa ſubduxit; ſed incaſſum *. Ex acidorum medicamentorum uſu, aegroti plus profecere; at neque per haec, licet a cl. Baynard adeo laudata †, quis ſervari poterat ‡.

Quod ad Curam attinet, illam, ſicut ex dictis apparet, variam eſſe oportet, pro cauſarum diverſitate; et quoniam omne medici conſilium in cauſae, urinam ſupprimentis, ſublationem conferri debet; huic operi leviter attingendo noſmet jam accingamus.

Ex omnibus antedictis, binae indicationes curatoriae elici poſſunt. 1*mo*, Urinae in ve-

* Com. in Inſtit. § 384.
† Phil. Tranſ. n. 215.
‡ Boerhaav. ibid.

ſica

ſica contentae, tranſitum ſuum ſolitum reddere. 2*do*, Morbi recurſum praecavere.

Et hic imprimis una opera obſervandum eſt, quod in omni fere Iſchuria veſicali, catheteris immiſſio adhibenda ſit; ſed non antequam aliae leniores methodi inefficaces inveniantur *; quoniam interdum non ſine dolore ac inflammatione catheter immiti poteſt. Hinc patet, quod in urinae ſuppreſſione, ex inflammatione colli veſicae orta, in uſum non veniat, priuſquam venaeſectio et clyſmata praeceſſerint. Clyſmatum autem univerſalis eſt uſus, at maxime, ſi ſupra urethram cauſa haereat.

Si propter inflammationem urinae exitus denegetur, venaeſectio liberali celebranda eſt manu, et pro re nata repetenda. Clyſmata quoque emollientia, et fomenta, pro inflammationis ſitu, perinaeo aut regione pubis admovenda, haud negligi debent. Dum haec fiunt, ſalia neutra, quorum praecipuum eſt nitrum, noſtraeque intentioni magis accommodatum, debita doſi propinanda ſunt.

Cum a ſpaſmo Iſchuria ſit, antiſpaſmodica, in uſum internum, et externum revocata, locum habent. Horum facile princeps eſt opium, quod hodie uſurpatur in omni pene Iſchuria, ſpaſmo ſphincteris ſtipata; ea ſola, quae ab inflammatione originem

* Heiſter. chirurg. p. II. cap. 137. p. 160.

ducit, excepta. Enemata etiam, quae talia recipiunt, ſunt utenda. Convenit vero imprimis, et caeteris fere omnibus palmam hic praeripit, enema, quod in pharmac. pauper. Edinenſi *terebinthinatum* audit; et quod ter quaterve, inſtar incantamenti, operari vidi. Veſicatoria quoque, in urinae ſuppreſſione, febri ſupervenienti, applicata, aliquando ejus fluxum promovent.

NONNULLI propoſuerunt aegri pedum immerſionem ſubitam in aquam frigidam, vel frigidae in crura ejus et femora aſperſionem: in Iſchuria duorum dierum, hoc ſemel vel bis tentatum vidi, cum ſucceſſu. In febribus quibuſdam, cum urina intercipitur, Iſchuria nonnunquam ſolvitur, aegroti de corpore ſtragula detrahendo, et nudum aeri externo exponendo: hanc methodum intentioni reſpondere vidi; ſed, ni fallor, periculo non caret.

IN variolis, ſive diſtinctis, ſive confluentibus, quoties urinae ſuppreſſio accidit, aeger e lecto eximatur, et cubiculum bis terve circumambulet *.

HAECCE ſphincteris conſtrictio aliquando adeo fortis eſt, ut ipſe catheter in veſicam immitti impediatur †. Si ab acri urina ſpaſmus procedat, decocta lenientia, ſcil. malvae, altheae; infuſum lini, ſyrupus ex althea, e-

* Sydenham. ſect. 3. cap. 2. p. 142.—— Sect. 3. cap. 3. p. 160. et Proceſ. integr p. 593.
† Heiſter. compend. med. p. 253.

mulſiones

mulsiones, ex amygdalis dulcibus factae, et olea blanda prosunt. Medicamenta quoque leniter diuretica, ut decocta radicis petroselini, radicumque aperientium, hic proficiunt; quae, ut copiam urinae augent, ita necessario ejus acrimoniam minuunt. Si dolores urgeant ad leviter opiata, clysteres, fotus, balnea, confugiendum est *.

Si Ischuriae infantum causa sit lac nutricis vitiatum, hoc mutandum est per diaetam aptam, vel ipsa nutrix cum alia est commutanda †. Ad curam nihil magis confert, quam alvum saltem naturalem servare. Potus tenuiter diureticus nutrici, aut infanti praescribendus est, ex decocto petroselini, graminis, foeniculi ‡; si vero ablactetur infans, ejus diaeta emendanda est; et si acidum in culpa sit, magnesia alba, quae et acidum extinguit et simul alvum leniter solvit; lapides cancrorum, aut pulveres testacei usum haud spernendum praestant. Commoda quoque insignia edunt syrupus papav. alb., balnea, fomenta.

Cum a paralysi urina retinetur, frictiones, fomenta, et cataplasmata roborantia, nervina et spirituosa, utilia evadunt; nec non clysmata ex medicamentis ejusdem indolis infundenda sunt. Haec dum aguntur, remedia interna non sunt contemnenda, quo-

* Heister. p. 256.
† Hoffmann med. rat. vol. 3. p. 493.
‡ Heister. ibid.

rum prima ſunt vinum, cortex Peruv. et amara. Interea cura habenda eſt, ne urina in veſica tamdiu morari permittatur, ut eam diſtendat, et ſic neceſſarie malum augeat. Laudat Heisterus cataplaſma excepis aſſatis, regioni pubis admotum, et id uſu compertum habere teſtatur *. Urina nonnunqum depellitur per manum, eandem partem prementem †.

Si, urina diuturne retenta, veſicae fibrae a nimia diſtractione jam debilitatae ſunt, tunc convenit lotium per catheterem educere. Urina extracta, bis terve de die intermittendus eſt catheter, vel potius catheter flexibilis in veſica relinquendus, donec fibrae, quaſi paralyticae factae, priſtinum ſuum robur recupaverint, ſi recuperare poſſint; quod cognoſcitur, ſi aeger ex arbitrio mingat facile, et cum impetu ſatis magno. Sed cavendum eſt, ne in veſica remaneat catheter ultra diem decimum vel duodecimum; cum ſaepe intra duas ſeptimanas ad ſe incruſtationem calculoſam attrahat ‡. Omni cura tamen inutili reddita, manet frequenter urinae ſtillicidium.

Quod ſi a lapide orificium veſicae obſtruatur, lapis cathetere in veſicae cavum repellendus eſt, aut citra catheterem, agitatione multa, recumbente aegro ſupino, ita ut

* Ibid. p. 257.
† Heiſter. chir. p. II. cap. 137.
‡ Sharp's critical inquiry, p. 129.

crura elata ſint ; vel aegrum in caput invertendo. Cum vero ex calculo, in veſicae cavo contento, dolores, ſpaſmi et urinae retentio ſequuntur, licet parva febris adſit, opii uſus, per anum et os, egregie proficit *. Si pulſus plenus ſit, venaeſectio juvat, ſemel aut bis celebrata, ut HIPPOCRATES monet in cura dyſuriae †. Decocta quoque, olea, et emulſiones, ſupra dicta, cum fotibus emollientibus ex papaverum capitibus, externe adhibitis, cumque ſemicupio, effectum egregium praeſtant. Si Iſchuria ab hac methodo fugetur, aqua calcis (cujus vires et naturam indagavere, plurimiſque experimentis confirmavere, in hac academia medicinae profeſſores, cl. ALSTON ‡ et WHYTT ||) et ſapo Hiſpanicus, ad paroxyſmi reditum praecavendum, ſi non ad curam radicalem obtinendam, mannae et rhabarbari doſi ſubinde interpoſita, eximii ſunt uſus. His vero, atque cathetere fruſtra tentatis, punctura in perinaeo, aut ſupra os pubis, et in caſibus jam memoratis, et in futurum memorandis, ilico inſtituenda eſt **; praxis quidem ſaepius laudata, quam exercita ††.

* Mead. monit. et praecep. med. de morb. ren. et veſicae.
† Aphor. 36. Sect. vi.
‡ Vid. ejus primam, ſecundam, et tertiam, de aqua calcis diſſertationem.
|| Vid. Whytt, on lime-water.
** Heiſter. chirurg. Le Dran, et Sharp's critical enquiry.
†† Sharp. ibid.

QUOD

Quod ad illam ſpectat Iſchuriam, ex calculo, urethram obturante, proficiſcentem; oleum amygdalarum dulcium in meatum injicienda, et mox aer inflandus eſt; dein calculus digitis propellendus, et denuo urethra oleo inungenda. Si prope extremitatem urethrae haeret, aliquando inſtrumento, ab egregio Halesio invento, extrahi poteſt *: ſi minor ſit calculus, ſaepe exugi poteſt, at praecipue in infantibus †; in feminis facili negotio extrahitur. Expulſionem quoque promovet, virgam in aquam cum lacte tepidam immitti; imo aegrum in ſemicupium deſcendere. Venaeſectio, ac opiata quoque huic ſcopo attingendo multoties requiruntur. Si vero omnia haec incaſſum tententur, calculus excidendus eſt ‡.

Si cauſam debet Iſchuria veſicae colli abſceſſui, ille intromiſſione catheteris aliquando feliciter ruptus eſt; pus e veſica derivari oportet, quod fit injectione lactis tepidi, aliis emollientibus commiſti ||. Hac methodo parum proficiente, culter reſtat.

Cum vero a glandula proſtata, tumida vel ſchirroſa, via urinae tollitur, immiſſio catheteris tentanda eſt; dein malum remediis, ſchirro aptis, tractari debet.

Si pituita urinae proventum prohibet, poſt urinae per catheterem eductionem, aqua calcis,

* Vegetable ſtaticks, vol. 2. p. 248.
† Et in ſpaſmo quoque ſphincteris, urina interdum ſuctu elicitur.
‡ Sharp's crit. inq. ibid.
|| Hoffman. p. 410.

minerales

minerales aquae, et crebra, ope mannae, purgatio iteratum in morbum lapſum praeveniunt.

CONCRETO ſanguini, cum cervicem obſtruendo, Iſchuriam parit, fluor conciliandus eſt, ſi fieri poſſit, et via laxanda; haec fiunt aqua, cui oxymel eſt admiſtum*, et decoctis vel infuſis althææ, ficuum, glycyrr., calidis affatim hauſtis, atque injectis.

QUOTIES Iſchuria ab ulcere veſicae ſequitur, per catheterem urina removetur; ſed origo mali plerumque omnibus medici conatibus reſiſtit; maxime vero, ſi aeger ſit ſenex. Infuſa radicum et herbarum vulnerariarum, leniaque balſamica, per longum tempus pota, prodeſſe viſa ſunt. Mentio vero aquae calcis, corticis Peruv. et pil. mercurial. laxant., hic loci non ſupprimi debet, utpote inſignis commodi medicamentorum. Enemata quoque, ex herbarum traumaticarum decoctis, quibus parva mellis roſarum quantitas immiſcetur, aliquando conferunt †. Anodyna etiam, urgenti dolore, in uſum veniunt; at ſenibus parce exhibenda. Omnia diuretica acriora caute vitanda ſunt.

CUM caruncula, cicatrix, aut ſtrictura in cauſae eſt, curatio *Bougie* dicto tentari debet. Caetera peti poſſunt ex chirurgicis ‡.

* Hoffman. Ibid.
† Heiſter compend. p. 259.
‡ Vid. Heiſter, le Dran. Daran, et Sharp's Crit. Inquiry.

In Iſchuria, ab hernia cyſtica proveniente, aeger, tumorem elevando et comprimendo, urinam ut plurimum emittere poteſt. Si hernia recens ſit ac libera, reductio erit facilis; ſin minus, praeter aptum *ſuſpenſorium* dictum, nihil aliud tentari queat *.

Cum ab haemorrhoidibus internis, vel earum propter molem, collum veſicae praementibus, vel propter dolorem, ſphincterem per ſympathiam afficientibus, inducitur Iſchuria; ruptis vaſis tumentibus, ſanguinis copioſa per anum excretio ſaepe morbum ſanat. In hanc Iſchuriae cauſam, ſi malum ſit inveteratum †, non multum effici poteſt, praeter alvi lenem ſolutionem, ne ſcil. faeces praetereuntes, maxime ſi durae ſint, inflammationem et dolorem augeant ‡. Clyſmata ex gelatinoſis, cum vel ſine opio, ut res monet, injecta, dolorem mitigant; cujus generis eſt enema de amylo pharm. paup. Edin. ||. Si haemorrhoides internae radicitus curari poſſint, clyſmata, ex decoctis herbar. vulner. comparata, cum cera, oleo, et gum. arab. ſolutione (balſama enim in hoc caſu nimis ſtimulant) apprime utilia

* Pott's Treatiſe on ruptures, p. 231.

† Si haemorrhoides internae ullo modo ſchirroſae evaſerint, ex cicutae vulgaris *extracto*, quod in tumoribus ſchirroſis, cancroſis ac ſtrumoſis, nec non fiſtulis veteribus, tam pulchre profuiſſe nuper repertum eſt, commodum inſigne obtineri poſſe, veriſimile videtur. Vide Stork de virtute cicutae, &c. &c.

‡ Ex cl. Rutherfoord praelectionibus clinicis.

|| Ex iiſdem.

ſunt.

ſunt *. In initio, et tunc ſolum plerumque curationem admittunt, aquae minerales, alvum leniter ſolventes, aegris ſanitatem promittunt †.

Si a foetus capite, collum veſicæ premente, Iſchuria ortum trahit, clyſter injiciatur, et ſubinde catheter adhibeatur. Si poſt partum difficilem, inflammatio ejuſdem partis, aut urethrae oriatur, fomenta ex aqua cum lacte tepida, vel decoctis emollientibus valde proſunt. Quod ſi, tempore graviditatis, Iſchuria ex utero, orificium veſicae premente, ſequatur; tranſitus urinae redditur, uterum gravidum elevando per digitum, in vaginam intromiſſum: nec enema, ſi venter ſit adſtrictus, negligendum eſt.

Atque ſic, L. B. Iſchuriae veſicalis praecipuas cauſas ac earundem curam tandem attigimus. Si quid autem, vel nimis feſtinanti calamo, vel perverſae hujus morbi tractationi referendum, erratum inveneris, aequi, bonique conſulas velim; cum non ſcribendi cacoëthes, ſed aequis academiae inſtitutis obſequentia, in publicum, me invitum compellit.

* Ex iiſdem.

† Ex iiſdem.

F I N I S.